VT AVTEM SCIATIS ET. B. Prudentiæ est quod illa quæ Dei sunt, fidei & religionis, literis commendauit perpetuis: quæ vero priuata erat, de negotiis Pauli peculiaribus, fido commisit legato exponenda. Hæc enim vel ignorata nihil officiunt saluti, quum illa non possint citra salutis nostræ periculum ignorari. C. Interea tamen, quoniam rumoribus vel dubiis vel falsis turbari solent non modo infirmi, sed etiam graues alioqui & constantes, hoc periculum anteuertit Paulus, Tychicum mittendo qui de omnibus certiores faceret Ephesios. In quo animaduertenda est pia solicitudo quam habebat Paulus de Ecclesijs. Nam quum mors illi assidue obseruaretur ante oculos, neque metus mortis, neque sui cura ipsum impediebat quominus etiam remotissimis quibusque consuleret. Diceret alius sibi plus satis circa se esse negotij, potius debere omnes ad opem sibi ferendam accurrere quam à se vel minimum quicquam leuationis expectare: non ita Paulus. sed mittit quauersum qui Ecclesias à se fundatas confirment. DE OMNIB. VOS CERTIORES RED. R. Hic ex Asia discipulus Domini & Pauli comes fuit, Act. 20.a.4. Cuius meminit & Col.4.b.7. & 2. Tim.4.c.11. DILECTVS FRAT. B. Quod hunc legatum suis laudibus ornat, prudenter agit. stultus enim est qui quælibet credit cuilibet. A. Hinc illæ sententiæ, Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inueniet? Prou.20.a.6. Et, Causam tuã tracta cũ amico tuo, & arcanũ extraneo ne reuele: ne forte insultet tibi quum audierit, & exprobrare non cesset, Ibid.25.b.9. Item, Legatus fidelis sanitas, Ibidem, 13. c. 17. Nam sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei qui miserit eum: animam ipsius requiescere facit, Ibid. 15.b.13. B. Proinde haud inconsulte feceris, si fratres pios testimonio vero & iusto illis commendaueris quibus hactenus fuere ignoti. Perreptãt enim omnes angulos impostores quidam, multa de Euangelio & persequutione sibi ab ignotis quibusdam illata garrientes, quibus tamen credisse summo cum periculo fuerit coniunctum. C. Tychicum ergo laudat Apostolus, quo plus fidei adhibeatur eius dictis. ET FIDELIS MINIST. Dubium est hunc appellat ministrum fidelem in Domino, de publicone Ecclesiæ ministerio an de obsequiis priuatim sibi exhibitis loquatur. Dubitationem facit quod hæc duo coniungit simul, Dilectus frater, & minister fidelis. Prius refertur ad Paulum ideo de secundo idem videri queat. Optime sane de publico ministerio intelligitur: quia verisimile est non quemuis homine à Paulo fuisse missum, sed qui aliquid haberet dignitatis ad mouendos sua præsentia Ephesios. B. Summa igitur virtus a qua commendatur ministri Verbi fidelitas est in expediendo ministerio Verbi. Nam quæritur in dispensatoribus vt quis fidelis inueniatur, 1. Cor.4.a.2. A. Ita Timotheum alibi laudat, quum illum ad Corinthios mittit. Hac de causa misi vobis Timotheum qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam reducet vias meas, quæ sunt in Christo, quemadmodum vbique in omni Ecclesia doceo, 1. Cor.4.d.17.

22 Quem misi ad vos in hoc ipsum vt cognosceretis de rebus nostris, & consolaretur corda vestra.

QVEM MISI AD VOS. A. Res suas velut extremis digitis suo more attingit Apostolus, vt iam dictum est. ET CONSOLARETVR CORDA VESTR. Sentiebat Paulus Christum Dominum sibi vincto tam præsentem & propitium, vt ex vinculis, quæ gestabat, plus accederet gloriæ ipsi Deo & vtilitatis Ecclesiis, quam ex libera prædicatione. Nam corpore vinctus, sed animo liber, epistolas scribebat ad istos ad Philippenses & Colossenses admirabili doctrina & incredibili consolatione refertas. Et per biennium omnes qui ad ipsum ingrediebantur suscipiebat, prædicans regnum Dei, ac docens quæ sunt Domini Iesu, cum omni fiducia, nemine prohibente, Act.18.g.30. Eam ob rem asserit se ad Ephesios Tychicum misisse, vt eorum corda consolaretur. q. d. 1. Ideo fidelem hunc Christi ministrum ad vos misi, ne nesciretis quo in statu simus, & ex eius præsentia consolationis nonihil caperetis, nequid ob meas afflictiones animo consternemini. Sic enim vinctus sum, vt è carcere tamen triumphet Euangelium Christi.

23 † Pax fratribus, & charitas cum fide à Deo Patre & Domino Iesu Christo. *Al. Pax ipsi vobis frat.*

PAX FRATRIBVS. B. Fausta imprecatione finit piissimam & vtilissimam Epistolam. Imprecatur autem fratribus fidem, charitatem & pacem: in quo ternione versatur summa veræ religionis. C. Pacis nomine felix rerum successus (vt in salutationibus) intelligi potest: nisi quis malit significari concordiam: quia mox fit dilectionis mentio. ET CHARITAS. B. Non curat Paulus ordinem. Certum est enim charitatem esse fidei effectum. A. nam fides per dilectionem operatur, Gal.5.a.6. A. DEO PATRI, ET DOM. C. Et hac precatione notandum est, tam fidem & dilectionem quam pacem ipsam Dei esse dona, quæ nobis per Christum largitur: imo Christum vna cum patre eorum esse authorem. E. Æqualis enim diuinitatis & potentiæ est Filius cum Patre, & dat æqualia dona.

24 Gratia *sit* cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Iesum Christum † cum sinceritate. Amen. *Al. Ad immortalitatem. Id est, Ad vitam æternam.*

GRATIA SIT CVM. E. Pium aliud votum, quo Ephesiis gratiam optat, id est fauorem, tutelam, gratuitam iustitiam & præsidium Dei. Nullum habet Paulus voto suo respectum personarum, sed omnibus vere piis fauorem ac beneficentiam diuinam semper adesse optat. A. Sic alibi, Gloria, honor & pax omni operanti bonum, Iudæo, primum, simul & Græco, Rom.2.b.10. DILIGENTIBVS DOMINVM. E. Periphrasis sanctorum fide quærentium per Christum salutem. CVM SINCERITATE. G. Vox Græca incorruptionem sonat: quod propter metaphoræ elegantiam notandum est. Subindicare enim voluit Paulus, tunc demum omni corruptela fore vacuum cor hominis, si omni hypocrisi vacet. A. Itaque sensus est, PAR. Fauor ac beneficentia diuina semper adsit omnibus, qui sincero affectu vitaque incorrupta diligunt Dominum, spretis hisce rebus momentaneis, æterna autem & cælestia sectantes citra corruptionem hypocriseos & vitæ impuritis. C. Porro hæc precatio vice oraculi habenda est, vt Deum nobis tunc foret propitium sciamus si corde sincero diligamus Filium eius, in quo dilectionis erga nos suæ testimonium ac pignus nobis exhibuit. AMEN. E. Confirmantis & certificantis particula. Orandus Dominus vt Spiritum suum nobis impertiatur, quo Christum vere & ex animo diligentes, æterna illa & felicissima benedictione perfruamur.

IN EPISTOLAM PAVLI APOSTOLI AD PHILIPPENSES CATHOLICA EXPOSITIO ECCLESIASTICA.

Authorem nomina qui in commentariis in hanc Epistolam citantur.

AMB. Ambrosius. BV. Bulingerus. C. Caluinus. L. Pelicanus. PAR. Paraphrastes. P. Pomeranus. I. Iodocus Kintsius. B. Brentinus. E. Erasmus Sarcerius. OE. Oecumenius. T. Theophylactus. V. Vitus Theod. A. Aug. Marloratus.

ARGVMENTVM.

PRAEMB. PHILIPPENSIBVS verbum fidei Apostolus tradidit. Visione enim monitus est vt ad eos accederet, A. & eis Euangelium annuntiaret: quemadmodum refert Lucas Act.16.b.9. I. Sic autem appellantur ab vrbe Philippis, cui id nomenclaturæ à Philippo patre Alexandri Macedonum rege & conditore inditum est. C. Hanc Macedoniæ vrbem in Thraciæ finibus sitam esse notum est. Hæc autem ad Philippenses scribendi Paulo ratio fuit. Quum per Epaphroditum pastorem suum illi misissent quæ vincto ad vitam tolerandam aliosque extraordinarios sumptus opus erant, non dubium est quin Epaphroditus totum illi Ecclesiæ statum exposuerit, monitore fuerit ad ea suggerenda de quibus monendi forent. Apparet autem à pseudoapostolis, qui tunc passim ad spargendas sanæ doctrinæ corruptelas oberrabant, fuisse tentatos: sed quia in veritate perstiterant, laudat eorum constantiam: B. & mirifice eos in recepta fide confirmat omnia expungens quæ poterant vel abstrahere à vero, vel currentes in via Domini impedire quominus procederent. R. Sicut enim defectores & peccatores resipiscere debent: ita pios in iustitia & fide pergere decet. C. Admonitiones igitur adiungit Paulus quales Philippensibus conuenire nouerat. Ac primum quidem de pio erga illos animi sui affectu testatus, quo fide sibi conciliet, B. eos erudit, ne cruce & vinculis suis offendantur, vtpote ex quibus plus commodi quam dispendij sit enatum hactenus. I. Inde concludit gloriandum potius esse in afflictionibus, seque ideo gaudere, atque sperare res suas fore meliores. I. Tandem asserit se vel mortem adeo non horrere vt optet etiam, si Christo volente contingat: R. sed quia magis necessarium sit Philippensibus viuere eum, suæ vitæ prolongationem in profectum illorum sperat. C. Tandem breui ad vnitatem & patientiam exhortatione caput primum claudit. Quia autem ambitio fere perpetua est discordiarum mater (vnde fit vt ianuam patefaciat nouis & alienis doctrinis) initio secundi capitis vehementius eos obtestatur vt nihil prius habeant humilitate & modestia: B. ad quod deinceps ardentissimis inflammat argumentis, vbi & de mysterio Christi disserit. C. &, quo melius eos in officio retineat, Timotheum se illis breui missurum promittit: I. imo seipsum cum Timotheo ad eos redditurum pollicetur: si modo Dei nutu permissum, atque fieri poterit. Postea excusat moram Epaphroditi. B. Tertio capite monet à pseudoapostolis caueant, Legem & operum merita Christo miscentibus. V. hortatur ne patiantur ab his sibi legem imponi. C. Omnibus illorum commentis opponit vnum Christum: arrogantiæ, suum institutum, in quo relucebat verba imago Christianæ pietatis. I. Atque mox quantopere colenda sit Ecclesiæ vnitas commendare modis omnibus studet, impense notans qui sectas & controuersias excitabant. C. Hunc vero perfectionis nostræ scopum esse admonet, quo enitendum sit tota vita communicationem habere cum Christo mortis & resurrectionis, suoque exemplo id comprobat. I. Quarto vero & omnium postremo capite Philippenses adeo fraterne & amice laudibus atque præconiis vehit, quod præ cæteris ipsum beneficio sint prosequuti, cum alias, tum maxime quum in vinculis Romæ detineretur. Quod ideo facit. C. ne putent male collocatum quod ad subleuandam eius inopiam erogauerant. I. Tandem commendationibus & salutationibus Epistolam claudit, R. quam Romæ scripsit, vbi vinctus erat propter Euangelium Christi. P. Hanc pertulit Epaphroditus fidelis Christi minister. I. Totius Epistolæ phrasis interim parænetica est, salubertimis monitionibus referta atque præceptis, quibus quemuis Christianum sub persona Philippensium amice atque fraterne adhortatur ad vnanimitatem concordiam, ad mutuam charitatem exigendam, atque veram Christi pietatem, ne in opera respiciat operariorum qui nostram innadunt & insidiis & aperto Marte salutem. A Sed iam Apostolum ipsum audiamus.

CAPVT PRIMVM.

PAulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu qui sunt Philippis vna cum Episcopis, & diaconis:

2 Gratia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.

PAVLVS ET TIMOTHEVS. A. Vt fidem suo ministerio astruat Paulus, solet in suarum Epistolarum initio dignitatis suæ titulos opponere. Hic autem. AMB. B. Apostolum se tacet, quia iis scribit, qui de illo recte sentiebant, C. & verum Christi Apostolum non tantum experti erant, verumetiam sine controuersia adhuc agnoscebant. ET TIMOTHEVS. A. Duplici ratione Timothei nomen huic inscriptioni adiunxit Paulus, huius Epistolæ author: priore quidem, B. quod Timotheus optime notus erat Philippensibus, & cum Paulo prædicauerat ibi Euangelium: quemadmodum appa-